

Zeitschrift: Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum
Herausgeber: Litteris Conradi Orellii et Soc.
Band: - (1748)
Heft: 9

Artikel: Ioannis Buxtorfii epistola de recte instituendo studio Rabinico
Autor: Buxtorfius, Joannes
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-394622>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

Download PDF: 25.04.2026

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

JOANNIS BUXTORFII

Epistola

De recte instituendo studio Rab-
binico.

AMice honorande. Petis consilium de rite instituendo studio Rabbinico, quæ res utique non Epistolam, sed Tractatum requiret, & hominem doctiorem ac peritiorem. Ut tamen petitioni Tuæ satisfaciam aliqua ex parte, paucis tibi meam de huius studii commoda tractatione sententiam aperiam.

Aggressurus studium Rabbinicum, tanto facilius & felicius in eo progredietur, quo melior erit Grammaticus & quo magis erit exercitatus & versatus in lectione Biblica. Hinc ego neminem ad illud studium sub mea disciplina admitto, qui non mediocriter sciat Grammaticæ resolvere textum Biblicum. Primum ergo requisitum erit, ut discipulus Rabbinorum iam sit Grammaticus: Nam lectio debet institui secundum regulas grammaticas: Has autem longe facilius addiscet ex libris iam punctatis, quam punctandis: Hinc nescio, quomodo tirones aliter, quam his præiectis fundamentis ad lectionem Rabbinicam admitti possunt; & qui in tricis hærent, extricare se oportet ex his tricis, idque per Grammaticæ exercitationem in
lectio-

lectione, interpretatione & analysi Libri alicuius biblici: Atque hoc omnino fundamentum requiritur, ut quis sit bonus Biblicus & Grammaticus.

In studio Grammatico si Discipulus eousque sit progressus, ut textum biblicum, ad minimum adhibito Lexico & Grammatica, possit resolvere, exhibeatur ei textus aliquis Rabbinicus sine punctis, & quidem primo facilis, cujusmodi sunt Kimchii Commentarii una cum interpretatione latina: Hunc textum iubeatur describere & punctare secundum interpretationem latinam: Nam quæ sine punctis volumus legere, ea oportet intelligere. Si intelligamus, & (quod præmissi) simus Grammatici, facile erit puncta addere. Incipiat sic a duabus, tribus, quatuor lineis quotidie. Hoc punctandi exercitium mirifice eum in Grammaticis confirmabit, ita ut brevi tempore eo usque sit progressurus, ut non amplius opus habeat Grammatica. Præceptor autem diligenter corrigat ea, quæ punctavit Discipulus, & ubi errat explicet, rationesque in ipsa Grammatica ostendat, & ubique ipsum ad eam remittat. Deinde si nova vocabula Rabbinica, vel Phrasæ, vel Abbreviaturæ occurrant, illis expositis, iubeatur discipulus eas memoriæ causa diligenter observare, & in peculiarem libellum annotare, ut tanto firmiter memoriæ imprimantur & inhæreant. Tertio iubeatur Discipulus, quotiescunque Præceptori punctata exhibet, ea ex libro non punctato clara voce legere & interpretari, audiente Præceptore. Duo hic inter cetera attendenda, ut
disci-

discipulo monstretur usus literarum מן , quas *Matres Lektionis* vocant, quomodo loco Vocabulium iis Rabbinum utantur: Deinde quomodo liberrime a quibusvis Radicibus Hebræis nomina verbalia derivent. De illo extat aliquid in Grammatica Chald. p. 10. De hoc in Lexico Hebræo post Syllogem Rabbinicam. Illas voces impossibile est omnes Lexico inferere vel comprehendere. Pro lubitu enim quisque nunc ab hoc, nunc ab illo verbo aliquod verbale format מן למבין. (Ad hanc rem inserviunt Commentarii *Merceri* in IV Prophetas minores, in quibus tres Rabbinos Latine convertit: & quidam alii.

Cum discipulus eo usque progressus fuerit, ut possit satis grammaticè punctare, & appareat, illum rationes Grammaticas probe tenere, intermittatur hoc describendi & punctandi exercitium, & iubeatur quotidie, exhibita ei adhuc interpretatione latina, textum aliquem tantum repetere, & coram Præceptore legere & interpretari, ubi Præceptor idem observabit, quod in præcedenti exercitio, ut nempe errantem corrigat, & rationes correctionis exponat, ut ea quæ difficilia sunt ei explanet.

Ubi deprehenditur Discipulus eousque progressus, ut feliciter possit ea legere, quorum interpretationem latinam habet, & versionem ad textum accommodare; detur ei materia sine interpretatione latina, & iubeatur ipse eam in Linguam latinam convertere. Hic enim iterum
aper-

aperientur infirmitates discipuli, & per hoc ver-
tendi exercitium nova ipsi accedet confirmatio.
Versionem Præceptori exhibeat quotidie, &
ab eo corrigatur, ita ut illud fiat discipulo le-
gente & interpretante & præceptore in scripto
Discipuli auscultante.

Cum apparet, aliquem eousque pervenisse, ut
mediocriter legere & intelligere possit vulgares
Rabbinos, tum, nisi ulterius progredi cupiat,
sibi tum committi potest, ut ipse privato studio,
adhibitis commodis subsidiis pergat. Si quis au-
tem ulterius progredi cupiat, & in secretiores He-
bræorum libros & ipsum Talmud penetrare, sic
opus est quoque perfecta cognitione Linguæ Chal-
dææ, & diversarum eius Dialectorum, quas ex-
plicat ex parte Grammatica, perfectius autem do-
cebit *Lexicon nostrum Talmudicum & Rabbinicum*.

Subsidia ad hoc studium quod adinet, requi-
ritur, ut quis instructus sit Lexico Rabbinico.
Plerasque voces, quæ in Commentariis biblicis
occurrunt, continet Sylloge Rabbinica Lexico
Parentis connexa. Non inutile quoque est Lexi-
con *Schindleri*; sed nimis mancum & imperfe-
ctum in Rabbinicis. Omnia supplebit nostrum,
cuius edendi spes aliqua affulget: Et novum spe-
cimen propediem me tibi missurum spero: Det
modo Deus, ne impedimenta & remoræ novæ
injiciantur. Deinde magnum sunt subsidium,
omnes illi libri, qui ex Hebræa in Latinam lin-
guam sunt translati: Ex illorum enim collatione
mirum quantum quis proficiat. Hos diligenter
sibi comparare debet studiosus Rabbinismi.

Hæc

Hæc Methodus est generalis. Specialia explicare, non est, ut ab initio innui, Epistolæ, sed integri Tractatus, quem Deo volente, una cum Lexico exhibere cogito, & perfecte totius studii Rabbinici, Chaldaici, & Talmudici rationem explicare. Omnia certe sita sunt in diligentia & assidua lectione ac exercitatione. Nec est unius anni studium Rabbinicum, sed tale quod totum hominem, & totam eius vitam requirit. Theologis autem & Theologiæ studiosis sufficere potest, si aliquo modo in locis difficilibus & dubiis, vulgares Rabbinos, qui Bibliis nostris adiecti sunt, possit adire & adhibitis subsidiis consulere. Et monendi sunt, studiosi, ut in tempore ad hoc studium accedant, antequam incipiant concionari: tum enim non amplius vacat illis continuo studio & labore hæc tractare: Et quo magis ad viriles annos accedunt, eo minus tenax fit memoria & minus apta ad Linguas addiscendas ac tot voces novas memoriæ mandandas: Crescente iudicio decrescit tenacitas memoriæ in minutiis istis retinendis.

Ex his facile apparet iam, quomodo consulendum sit, tum Ministris & Viris iam exercitatis in studio Biblico; quomodo item Tironibus: Hi nisi perpetuo tirones manere & ad quemvis lapidem impingere velint, sequantur consilium quod dedi, de Grammatica probe discenda & ruminanda.

Consilium de studio Hebraico instituendo adieci ultimæ editioni *Manualis Hebraici* Parentis mei an 1631.

Illos

Illos quod attinet, facile hinc colligere possunt, quid sibi sit faciendum: Sumant unum & alterum Commentarium latine versum & conferant diligenter cum Hebræo, donec illi lectioni paulatim affuescant, & Rabbinicas quoque voces & phrasas, uti Biblicas, sibi familiares reddant. Ab illo punctandi exercitio, ob maturitatem iudicii & peritiam, quam in textu sacro habent, immunes esse possunt. Hac ratione ego ante decennium in Rabbinicis & Talmudicis institui Virum p. m. Cl. & Celeberr. BENED. TVRRETINVM Genevæ, integros aliquot libros ei exponendo.

Unum est, quod ad generalem institutionem pertinet, ut quis diligenter continuet studium Biblicum, non solum propter Grammaticam, sed & ideo, quia frequentissimi sunt Rabbinis in allegandis Scripturæ locis, ad quos investigandos opus est Concordantiis, & in Sermone suo perpetuo locutiones biblicas imitantur, ut eas possit tanto facilius agnoscere.

Sed plura de his alias coram forte brevi. Scripsi hæc tumultuarie, prout in mentem mihi venerunt & calamum. Tu ea boni consules, & eum amare perges, qui perpetuo est & erit.

T. Studiosissimus
JOANNES BVXTORFIVS.